

Cosmetica innocua : dissertatio inauguralis medica ... / publicae [i.e. publicae] disquisitioni submittit Marcus Weismayer.

Contributors

Weismayer, Marcus.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Budae : Typis Regiae Universitatis Hungariae, 1844.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/b7b5aarg>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

COSMETICA INNOCUA.



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

**CONSENSU ET AUCTORITATE MAGNIFICI
DOMINI**

PRAESIDIS AC DIRECTORIS SPECTABILIS AC PERILLUSTRIS DOMINI
DECANI, NEC NON CLARISSIMORUM DOMINORUM PROFESSORUM PRO
DOCTORIS LAUREA SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVI-
LEGIIS RITE, ET LEGITIME CONSEQUENDIS, IN ALMA AC CELE-
BERRIMA REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE HUNGARICA.

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

MARCUS WEISZMAYER,
HUNGARUS QUINQUE-ECCLESIENSIS.

In Theses adnexas disputabitur in Palatio Universitatis.

BUDAE,
TYPIS REGIAE UNIVERSITATIS HUNGARIAE.
M. DCCC. XL. IV.

A' fiatalsnak szép napjai , a' gyönyörű kor
Hirtelen illan , mint felhök sebes árnya tavaszszal

V ö r ö s m a r t y.

Discite , quae faciem commendet cura puellae
Et quo sit vobis forma tuenda modo.

MÉLTÓSÁGOS
N A G Y A T T Á D I
CZINDERY LÁSZLÓ
Ú r n a k
Ő Császári királyi Felsége Tanácsnokának
Tkt. ns. Vas Vármegye Fő-Ispányi Hellyettesének
Ő Nagyságának
Több Tkt. ns. Vármegyék Tábla-Birájának

s. a. t.

A'

Haza, Emberiség, és Tudomány

ügyében

Fáradhatatlanul buzgó Férfiúnak

Minden Jó Szép 's Nagy

Hő keblű előmozdítójának

Nagy kegyü Pártfogójának

Legmélyebb Tisztelete Jeléül

ajánlja

a' szerző.

P r a e f a t i o .

Accidentalibus fortunae bonis, quibus mater natura suos gratos muneras, pulchritudo corporis merito adnumerari potest, constituit enim litteras commendaticias in diversis relationibus vitae. Magis transitoria est interim formositas foeminae, quam ea viri. Hic adtentione in semet ipsum directa, eam facile conservare potest, dum contra mulier vix destinationem, qua coniux, et mater implevit, aut aliquot vitae incommoda experta, jam videt suam venustatem flaccescere ac languescere. Cum tamen venustas pro sexu sequiori multo maioris sit momenti, quam pro virili. Non minus indifferens potest mulier esse hocce respectu, quam nos respectu virium nostrarum. Sed possidet ars remedia, quorum ope caduca corporis formositas longo tempore conservari, imo et perdita ex parte restitui potest; et uno, et altero occupatur Cosmetica, quam multi medici negligunt, quasi eos hanc arfem tractare dedebeat, sed immerito, nam praeterquam, quod formositas, et sanitas in intimo sint nexu, quod copia remediorum in Cosmetica usitatorum, uti praeparata hydrargyri, plumbi, zinci, bismuthi etc indi-

recte, et audaciter adhibita sanitati quam maxime no-
ceant, a medico saepe etiam petitur remedium cosme-
ticum, praesertim a juniori, quem in simili casu fre-
quentius accedunt, quam senes gavioribus negotiis oc-
cupatos, potestque sibi maculam cutis, facile, secu-
reque sanando firmam lucrari fiduciam, non solum ma-
tronarum, sed etiam virorum, quorum non pauci de-
licatiores sunt illis.— Magnus se mihi scientiarum me-
dicarum in scribendo offerebat campus, ita ut in tanta
thematum ubertate dubius haeserim, quidnam Disser-
tatione mea inaugurali ederem. Tandem Cosmeticam
selegi, non quidem in conscribendis his pagellis per-
fectam promitto, nam talis complectitur plures ramos
Scientiae nostrae, quod opus Dissertationis limites lon-
ge transgrederetur, et tamen relative quoque man-
cum semper maneret. Si itaque per hos primos meos
conatus litterarios amicis, ac collegiis maiore tracta-
tus huius opere destitutis saltem quidpiam utilitatis
praestitero me operae pretium fecisse non dubitabo.

Cosmetices

Notio Historica.

Historia Cosmetices est generi humano coaeva, nam non solum luxuriosi orientales, qui se quotidie in fluidis suaviter olenibus balneant, colunt Cosmeticam, sed etiam pauper Samojeda, cuius coniux succo baccharum supercilia tingesit, et capillos adipe piscium ungit, utitur remediis cosmeticis, et non minus studet arnatui, quam illi, qui annue millia florenorum hunc in finem expendunt. Saltem complexus remediorum huic scopo dicatorum est diversus, non autem necessitatis origo. quae hic, et ibi penes nationes maximae culturae, et penes barbaros semper eadem manet, nempe instinctus vanitatis.

Definitio et Divisio Cosmeticorum.

Nomine Cosmeticorum (Cosmetica venit a graeca voce *ζωσμεω* verschönern) veniunt remedia, quae corpori affectam pulchritudinem in quantum fieri potest restituunt, et ipsi maiorem formositatem tribuunt. — Cum formositas hominis absque sanitate cogitari nequeat, Cosmetica efficit partem Diaeteticae, pari ratione efficit partem Chirurgiae v. g. per efformationem artificialem oculorum, nasi, membrorum etc etiam Medicinae, dum per remedia interna vitia coloris cutis v. g. Icteri, Chlorosis sanat. — Cosmetica sensu stricto, seu popularis, de qua hic agere intendo, occupatur cultura super rectis medicinae principiis fundata cutis, unguium, capillorum, et dentium, cui appendicis instar iungi possunt remedia, quorum ope ingratum frequenter occurrentem oris foetorem tollere nitimus.

I. *Cosmetica cutis.*

Praecipua sedes formositatis cutis est, si nempe debitam albedinem, teneritatem, et sanitati convenientem splendorem exhibet, ad quod obtainendum piae omnibus aliis requiritur cutis mundities, per quam non solum removeantur peregrina casu cuti adhaerentia, sed etiam ea, quae per ipsam continuo secernuntur, porro frequens balneorum usus, et lotio, huic scopo magis respondet aqua pluvialis, et fluviatilis. quam putealis, nam cutim magis glabram, tenerioremque reddit, saponemque facilius solvit, quod ut eo facilius consequatur, cutisque mollis byssو quasi similis redatur, diversa adhibentur remedia cosmetica, quo spectant 1 aquae, 2 sapones, 3. Pulveres, 4. Pastae, 5. Fuci.

1. *Aquae Cosmeticae.*

Aquarum Cosmeticarum finis est formositatem cutis augere, vitiaque eius praesentia fors tollere, aut in quantum fieri potest imminuere. Praecipuae harum sunt:

1. *Aqua Cosmetica Hufelandii:*

| | | | |
|---|----------------|------|--|
| Rp. Furfur. amygdalar. drach. duas | | | |
| Aquae rosarum | | | |
| Aquae naphae | aa unc. septem | | |
| ut f. emulsio | | | |
| | | adde | |
| Tinct. Benzoes | | | |
| Boracis depur. | aa drach. unam | | |
| (cuti nimis irritabili praesente sine borace) | | | |

M. S. Waschwasser Abends vor dem Schlafengehen zu gebrauchen.

2. *Aqua Cosmetica composita Hungarica:*

| | | | |
|--|----------|--|--|
| Rp. Folior. roris marini libr. unam et semis | | | |
| Folior. lavandulae librae quartam partem | | | |
| Herbae thymi | unc duas | | |

Affunde spiritus libras tres cum sufficienti quantitate aquae digere per noctem, destilla, et in vitris bene clausis asserva.

3. *Lac virginum (Jungfernmilch)* Super Benzoes pulverisatae unc. 2 funduntur spiritus rosarum librae 2, vitrum subere bene clausum exponatur per octiduum soli, aut alio loco calidiori, agita per diem aliquoties, et filtra. Cochlear cibarium fluidi hac ratione obtenti sensim sensim miscetur

cum poculo aquae destilatae, obtineturque species lactis albescens, suaviter oletis.

4. Species lactis, quae cutim albam, teneramque reddit, sequenti paratur modo: Amygdalarum amararum excortie. unciae 2 cum simili quantitate seminum papaveris albi insperguntur cum exigua quantitate aquae rosarum, in mortario aurichalceo puro per dimidium horae conteruntur, durante contusione affunditur aquae rosarum fortis libra una aquae aurantiorum unc. 2, aq. petroselini uno 4, sic ortum lac album premitur trans linteum purum, lagenae infunditur, et cum aliquot guttatum additis cochlearibus Tincturae Benzoes agitando servatur.

Plerisque aquis cosmeticis sequens tinctura misceri potest.

Rp. Benzoes unc 3

Storacis, caryophyllorum aa unc. unam

Nucis mosch. Cassiae Cinnamom aa drach. duas

Vanillae drach. unam

M. digere cum alcohol. vini unc. XXIV per triduum, dein coletur cum expressione. — Haec tinctura omnes aquas cosmeticas lactescentes reddit, grata olet, et eam prae communiter nota Eau de Cologne habet praferentiam, quod de illa multo minor requiratur quantitas, quam de l' Eau de Cologne.

2. Sapones Cosmetici.

Sapo niger sine dubio optime mundat, sed odor eius est ingratus, et cutim sensibiliorem fortius irritat, illi praefertur sapo venetus, et plures species saponum cosmeticorum.

1. Rp. Saponis Hispanici pulveris. libram unam

Furfur. amygdalarum unc. duas

Potassae depuratae unciam semis

Olei thymi guttas viginti

Spiritus Majorani unc. quatuor

Misce exacte cum mucilagine Gummi Tragacant, et aqua florum aurant, redige in pastam, ex qua pro lubitu formantur globuli. Sapo hic utilis contra cutim impuram, asperam, et maculosam, item contra lentiginem, et ephelidem.

2. Sapo mellitus: Rp. Saponis veneti rasi unc. tres, solve in exigua quantitate aquae rosarum donec in pultem

rediguntur tenuem, quae cum mellis depurati unc. una et semis inspissatur ad consistentiam unguenti, cui adhuc pro lubitu additur pulvis Benzoës, et oleum aliquod gratum, ac in pixide pro usu asservatur.

3. *Pulveres Cosmetici.*

Per exsiccationem saponis, et admixtionem diversarum substantiarum obtinentur pulv. cosmetici:

1. Rp. Saponis medicati exsiccati. farinae fabarum aa unc. quatuar

Pulv. rad. Ireos florentinae unc duas. adde

Olei Citri gutt octo

M. D. S. Pulver.

2. Pulv. cosmeticus pro tendendo:

Rp. Saponis albi aere exsiccati, ac in pulv. redacti lib. unam

Pulv. subtilis gum. arabici unc. unam

Pulv. rad. Ireos florent: unc. semis. Instilla

Olei rosarum, v. de bergamo, v. lavandulae gutt. duodecim

M. D. ad pixidem e lamina confectam.

4. *Pastae Cosmeticae.*

Nomine pastarum veniunt miscelae unguentis similes, in quibus tamen pinguedo minus, quam reliquae substantiae basim principalem constituunt: Praecipuae sunt:

1. Amygdalarum amararum, et dulcium excorticatarum aa libram semis, contere in mortario, sub contusione additur sensim libra una mellis albi depurati, et eadem quantitas aquae aurantiorum, huic miscelae bene contusae adduntur succi Citri recentis tria cochlearia cibaria. Pasta que obtenta in pixide porcellanea asservatur.

2. Pasta ex solano tuberoso confecta. Alba, et multum farinae continentia solana tuberosa ad molliitem coquuntur, a cuticula liberantur, refrigerata raduntur, ac cum lacte, et vitello ovi bene contunduntur. Est praestans surrogatum saponis amygdalini, potestque per additum pulverem radieis Ireos florentinae odor gratus ei tribui.

3. Rp. Saponis med. exsiccat. farinae fabarum aa unc.
unam

Amygdalarum excorticatarum tritar. unc. semis.

Gummi mimos. drach. duas.

Rad. Ireos flor. drach unam et semis

Aqua ros. q. s. u. fiat pasta. M. D. S.

Possunt pastae hae diversa ratione variari, et per addita olea aetherea, tincturas, balsama etc. vario modo mutari.

4. Olei amygdalarum, et spermatis Ceti anatica quantitas miscendo altiore tempore solvuntur, miscelae additur sufficiens quantitas olei lavandulae, vel Citri, pasta obtenta manus ante decubitum inunguntur, manicae coriaceae induuntur, et altero die mane inunctae manus lavantur aqua furfurum amygdalarum; per longiorem huius remedii usum manus dura, et aspera, albedinem, ac mollitiem byssῳ similem acquirit.

5. Rp. Butyri Cac. recentis. unc. duas

Spermatis Ceti unc. unam

Olei amygdalarum unc. quatuor

Tota massa liquefiat, et teratur usque ad refrigerationem, sensim sensim additur quidpiam aquae lavandulae.

5. Cosmetica in colorem cutis agentia, seu fuci.

Haec sine detimento vix longiori tempore adhiberi possunt, nec foeminae honestioris conditionis (praesertim id valet de fueo rubro) iis utuntur. Influxu nocivo summuntur consuetim pro fuco albo oxydum bismuthi; et Cerusa alba, pro rubro Cinnabaris. Cum certae tamen personae etsi cultae usu huius speciei cosmeticorum carere vix possint, scilicet scenici, his pro fuco albo minime nocivo commendari possunt talcum in sapone, vel emulsione, pro rubro carminum; etiam pulvis ireos florentinae, quo turcae saepe utuntur est cosmeticum innocuum.

Cosmetica contra affectiones cutis directa.

Affectiones cutis, contra quas cosmetica expositurus sum, non dubito cuique sufficienter notas esse, ideo diagnosis illarum non illustrando, saltem cosmetica cum fructu jam adhibita recensebo.

1. Cosmetica contra Lentigines (Sommersprossen)

Lentigines individuis utriusque sexus, frequentius tamen sequiori sunt propriae praesertim si cutis foeminarum est alba, munda et glabra. Suntque nihil aliud, quam squamae epidermidis, quae per influxum solis et lucis oriuntur, dum cutis sudans, aut madida illorum actioni exponitur. Hinc in depellendis lentiginibus primum est causas excitantes vitare, dein cosmetica adhibere remedia, quorum praecipua sunt: Neumann laudat seq. tinteturam:

1. Rp. Rad. Hellebori albi unc. unam

Digere per sex dies in spir. vini unc. octo in loco tepido

D. S. Täglich dreimal die Haut mit der überstehenden klaren flüssigkeit zu bestreichen.

2. Rp. Potio Riveri cum succo Citri parati drach tres

Aquae rosarum unc. duas

Aquae oxymuriaticae unc. unam

Aquae florum naphae unc. quinque. **M. D. S.**

3. Aquae rosarum, et albuminis ovi recentis anatica quantitas miscetur, miscelaque obtenta omni vesperi facies illinitur, ac altero die mane facies aqua cosmetica lavatur. Si lentigines coloris essent profundioris, tunc vesperi illinnuntur succo Citri, qui postquam desiccatus tunc rursus miscela aquae rosarum, cum albumine ovi.

4. Miscela aquae rosarum cum succo Citri recenter expresso facies illinitur, quae postquam desiccata est, illinitur cum exigua quantitate butyri recentis insulsi, quod omni vesperi repetitur, et mane facies lacte virginum lavatur.

5. Pro infallibili habetur cosmetico: Succum Citri recenter pressum pomi unius, cum spiritu vini, et lacte colearis unius coquendo, et despumando.

6. Hufeland maxime laudat emulsionem e furfuribus amygdalarum cum aqua rosarum, et naphae, cui addatur tintura Benzoës, et Borax Veneta.

Remedia haec optime adhibentur hyeme ad finem vergente, aut media aestate.

2. Cosm. contra Ephelides (Leberflecken)

Producuntur frequentissime per infarctus hepatis, graviditatem, scrophulosim, arthritidem, siphilidem, tunc re-

mediis congruis tractari debent, dum autem malum consti-
tuunt topicum, seq. remedia effectu salutari adhibentur.

1. Tinctura Hellebore albi contra lentigines commenda-
ta etiam hic adhiberi potest. Ephelidibus saepius recurren-
tibus dicta tinctura deletis, omni octiduo adhibetur bal-
neum calidum, post quod tota cutis superficies Opodeldoc
bene illinitur, quo facto ephelides vix amplius redeunt.

2. Adhibetur Borax forma concentrata: Boracis drach.
sem. solvitur in aq. rosarum unc. una, quo ephelides sae-
pius madefieri debent.

3. Bene agit hic Camphora:

Rp. Spermat. Ceti. mellis depur. aa unc. unam
Camphorae drach. unam. M. D. S. Ungent.

4. Item Alcalia:

Rp. Fel. Tauri drach. duas
Sapon. medic. unc. unam
Kali Carbon. drach. unam
Olei amygdalarum q. s. u. f. pasta. M. S. usui.

3. *Cosm. contra Guttam Rosaceam* (Kupferausschlag oder
Kupfer-nase)

Causa principalis est peculiaris dispositio cutis, unde
Gutta rosac. saepe haereditaria, et integris familiis propria
esse potest. Causa frequentissime excitans est excessivus
usus spirituorum, sed occurrit etiam in individuis, quae
potulentis spirituosis parce utuntur, et tunc alter status
morbosus sublatitat: syphilis, abusus mercurii, symptoma
haemorrhoidum, menstruationis, vel turba secretionis bilis.
— Si malum tantum constituit topicum, quod ex sedula in-
vestigatione apparet, tunc plurimum praestat Camphora,
efficacissime agit spiritus camphoratus, a nonnullis aegre
fertur, et eius locum meliori saepe effectu supplet Opodel-
doc, vel nonnunquam camphora conteritur cum axungia por-
ci in speciem unguenti, et parti affectae applicatur. Hu-
feland specificam virtutem tribuit seq. miscelae.

1. Rp. Aquae fontanae dest. libram unam semis
Lactis sulph. drach. quinque
Camphorae subactae drach. duas

M. S. Alle Abend die ausschlagsstellen damit zu befeuch-
ten, und früh abzuwaschen.

2. Most laudat. seq. form.

Rp. Aquae Goulardi. Aq. rosar. aa unc quatuor
Sulph. pulver. drach. duas

M. S. Stark umgeschüttelt Abends und Morgens anzuwenden.
(*De hocce remedio licet a Most laudatum, notandum usu eius guttam rosac. quidem disparere, sed eius locum maculas nigras supplere, quod et cognitio chemica, et experientia docet.*) Idem valet de Varis (*finnen*) quae similibus uti Gutta rosacea causis producuntur, et iisdem ferme remediis sanantur.

4. *Cosmetica contra Phlyctaenas* (Wimmerl)

Propriae sunt individuis, quae laborant congestionibus versus caput, quae alvi depositionem habent segnem, et cutim teneram. Infestant aetatem juvenilem, et virilem utriusque sexus, comparent imprimis in fronte, facie, nunquam in parte inferiori truncii. Statu phlogistico praesente commendamus methodum antiphlogisticam, diaetam blandam, tenuem, aquam puram, simplicem, serum lactis, dissuademus cibos acres, aromaticos, ac potus spirituosos. Ubi nulla causa specifica detegitur, contra morbum topicum cutis, topica etiam remedia adhibemus, et hic frequentissime bono effectu datur solutio boracis, quae qua talis continetur in jam commemorata aqua cosmetica Hufelandii.

5. His iungi possunt verrucae (Warzen) maiori saepe numero in manu occurrentes, quae optime tolluntur oleo tartari (Weinsteinöhl) quo eae frequenter per dien illinuntur, vel inunguntur tintura frondium sabinae penicilli ope, si huic solutioni rebelles essent, tunc alternatim fiat usus externus Butyri Antimonii.

6. *Cosmetica contra Comedones* (Mitesser)

Sunt puncta exigua nigricantia, elevata in folliculis cutaneis sebo crassiore instructis residentia, ex his expressa referunt fila vermicibus similia. Hic praecipua cura munditiae est habenda, frequens lotio cum aqua saponaria. Dum occupant faciem, suntque minori numero, acu tenui excipiuntur. Si peripheria comedonum est inflammata, cutis linimento Opodeldoc lenissime teritur, quotidie aqua de cologne lavatur, serius dum cutis iam magis est glabra aqua frigida. Si tanta sit eorum copia, ut exprimi non possint, cutis vesperi inungitur miscela constante ex anatica quan-

titate mellis, saponis, et farinae, ac altero die fit lotio aqua furfurum.

7. *Cosmetica contra Perniones (Frostbeilen).*

Est erythema ab influxu frigoris provocatum; sedem habet in digitis manuum, ac pedum, subinde in naso, ac auriculis, aestate parum molestat, sed quamprimum hyems imminet, partes pernione affectae intensius rubent, subinde tument, et splendent, non raro sensum molestum pruritus et ardoris excitant, et morbo increscente exulcerantur. — Praecaveri possunt, si homo jam a tenera aetate frigori preferendo assuefit. Quamprimum phoenomena pernionis in aliqua parte corporis se manifestant, pars illa nivibus, aut aqua glaciali fricanda est, illuc usque, donec sensibilitas, et calor normalis revertantur, in defectu nivium, adhibemus solutionem salis ammoniaci, si inflammatio cutis est intensior, emollientia, oleum lini, olivarum, amygdalarum dulcium, sebum, sperma ceti, decoctum furfurum, raparum albarum etc sunt indicata, phlogosi non remittente applicantur hirudines, his non sufficientibus prodest saepe unguentum efformatum ex anatica quantitate Terebinthinae, et Camphorae, vel usus externus olei Petrae in connubio cum Camphora anatica quantitate. A sequenti miscela jam ipse effectum salutarem in pernione pedum inveterata conspexi.

Rp. Unguenti Lithargyri

Olei Lauri excoceti aa drach. sex

Ammoniae purae liquidae

Tincturae opii compositae aa drach. semis

M. exactissime fiat unguentum. S. Usui.

8. *Cosm. contra Rugas (Runzeln)*

Rugae in sequelam maciei, et senectutis ortae tolli nequeunt, sed si originem trahunt ex neglecta cultura cutis in facie personarum iuniorum, plura laudantur Cosmetica, inter quae puaecipua sunt:

1. Rp. Tincturae Bals. Peruviani nigr. drach. sex

Lixiv, Kali Carbon. unc. semis

Aquae rubi Idei unc. sex

Vini gallici flavi vetusti unc. quatuor M. D. S.

2. Schreger commendat seq. miscelam: Remote ab igne in lebete stanneo funduntur duae unciae cerae albae, cum

qua bene terendo uniuntur succi recentis Scillae, Liliorum, mellis depurati aa unc duae, cui adduntur olei de Bergamo gutt viginti. Unguento obtento pars rugis adfecta tenuiter illinitur.

3. Trommsdorf suadet, ut pulvis Myrrhae spergatur super instrumento ferreo lato candefacto, fumus exiens dimittatur in faciem, per aliquot minuta secunda capite linteo obvelato, ne fumus dissipetur.

4. Unciae quatuor hordei coquuntur cum libris duabus aquae pluv. v. fluviat. in olla nova obiecta usque ad crepitationem seminum, decoctum refrigeratum premitur trans linteum, atque pro omni libra fluidi obtenti adduntur viginti grana Balsami Peruviani, miscelaque haec in lagena obturata conquassatur eousque donec se ex integro unierit. Omni vesperi, et mane facies rugosa hocce decocto lavatur.

II. Cosm. contra deformitatem unguium.

Formositati manus multum saepe detrahitur per deformitatem unguium, nonnulli eorum sunt maculis flavis, alii rubris, aut bruneis, vel nigris, aut albis notati, vel adest deformitas quoad volumen eorum, per Cosmetica adhibenda vitia haec saepe tolluntur. — Ad obtainendum amoenum unguium colorem ii sapone sufficienter loti, unguento ex anatica quantitate cinnabaris, Smiritidis pulverisatae, et sufficienti quantitate olei amygdalarum confecto teruntur, quoisque albi, ac transparentes conspiiciuntur, ac sapone amygdalino mundantur. — Maculis unguium praesentibus, tunc hi miscela constante ex anaticis partibus picis, et terebinthinae liquidae, cui additur exigua quantitas florum sulphures ante decubitum obducuntur, et altero mane iterum mundantur. Maculis fugatis, ungues unguento superius commemorato deteruntur. — Volumen unguis auctum, quod vitium ex abscessu inter unguem, et phalangem tertiam efformato originem dicit, suffertur si inveteratum nondum sit, unguem talem cera longiori tempore obducendo.

III. Cosmetica capillornm.

Capilli multiplici respectu constituunt obiectum Cosmetices. Ars hic multum praestat in emendandis vitiis congenitis, limitibus semper circumscriptis. In cultura capillo-

rum principalis conditio est mundities, quo spectat pectinatio, et frequens eorum abscissio. Mundities, quam maxime colitur, si capilli quotidie mane, prius dentibus pettinis minus, dein magis approximatis pectuntur, dein seta molliori hunc finem parata tranctantur. Capillitium immundum, et crines multum pingues insperguntur potassa pulverisata, aut albumine ovi inunguntur, aquaque pluviali, vel fluviali lavantur. His omnibus observatis accidit saepe, ut capilli debito modo non crescant, imo excidant, vel per morbum gravem praegressum, vel sine illo, quod semper ostendit statum abnormem vitae vegetativae. Frequenter color illorum praeprimis ruber peculiarem impressionem ingratam exerit. Quo in casu salutem quaerimus in cosmeticis, quae etiam contra canitiem aetate adductam successu saepe felici adhibentur. — In delectu remediorum incrementum capillorum praesentibus adhuc eorum radicibus promoventium, in causam status morbosi semper indagari, individualitatisque summus respectus haberi debet; Remedia spirituosa, et olea aetherea ab agyrtis tantis encomiis laudata maxime saepe nociva, vitentur.

Ad incrementum crinum promovendum plures adhibentur miscelae, quarum praecipuae sunt:

1. Medullae ossium recentis leni igne liquefactae, ac filtratae unc. sex, in patina bene conteruntur, dein sumuntur Extracti Chiae drach. duae cum tanta quantitate aquae bene contritae, et Balsami Peruviani drach. una, quae teruntur usque ad disparitionem distinctionis partium, cui dein medulla contrita successive additur, ita, ut unguentum obtineatur ex integro aequale, quo omni vesperi capilli bene inunguntur, et altero die aqua cum exigua quantitate cremati remixta lavantur. Post lotionem cum aqua capilli aeri libero non sunt exponendi, et si per hoc asperi redditi, oleo puro, non rancido sunt inungendi.

2. Unguentum a Trommsdorf commendatum. Unciis duabus cerae albae leni igne liquefactis, axungiae porci libra una prius aqua puteali eousque lota donec odorem ex integro perdiderit successive additur, qua soluta vas ab igne removetur, massaque liquefacta in patinam ligneam effunditur, eousque teritur, donec refrigerari incipit, huic uniuntur massam continuo terendo aq. rosarum fortis unc. quatuor, et sub fine adduntur olei de Bergamo, Lavandulae, Citri aa guttae viginti, olei Thymi gutt. decem, et olei Caryophyllorum gutt. quindecim.

3. Simpliciori modo, bono pariter effectu in hunc sinem adhibendum unguentum sic parari potest: Unguenti rosarum, et Balsami Peruviani anatica quantitas invicem miscetur, et omni tertio die capilli eo inunguntur.

Contra defluvium capillorum, et alopeciam innumera adhibentur remedia, Galenus remedia in defluvio capillorum, et pilorum adhibenda, quae proximam huius mali causam tollunt vocat Metasyncritica, et suadet pilos corruptos vel forcipula, vel emplastro piceo (Drapocismo) extrahere, aut totam partem morbosam tondere, post quod caput lixivia, in qua capilli veneris, politrichium, abrotanum, et similes plantae coquuntur, lavatur, post lotionem linteo non multum molli, et non multum sicco eousque teritur, donec cutis rubescere incipit. Hoc terminato remedia adhibentur topica: Sinapis, nasturtium, radix liliorum alborum, oleum laurinum etc. In delectu horum remediorum individualitatis respectus semper habendus. Inter remedia composita proponit :

1. Rp. Pulv. cineris arundinis ust*i*
Pilorum caprae uestorum
Adipis ursini
Picis liquidae
Cedriae aa partes aequales. Nominatque remed.
admir.

2. Rp. Pulv. Seminum erucae
— Nasturtii
— Nitri aa partes aequales
Cum oleo laurino, vel pice liquida miscentur.

3. Unguentum celeb. Depuytren seq. continet miscelam:
Rp. Medullae ossium unc. quatuor
Calomelis drach. duas et semis
Tinct. Cantharidum grana septemdecim
Olei rosarum guttas duodecim. M. D. S. Unguent.

Instar remedii, incrementum capillorum promoventis suadet.

4. Beauchamp, solutionem granorum 4 — 5 Tartari Emetici in uncia una aquae, et adfirmat hoc remedium adhiberi posse contra alopeciam ex acutis morbis praegressis, ex maiori usu hydrargyri, ex tinea exortam, imo tam huic remedio tribuit virtutem, si pili novi hac solutione 2 — 3 vicibus inunguntur, hi aquirunt colorem priori similem.

5. Contra calvitiem incipientem. adhibet Rhases seq.

Decoctum:

Rp. Grana myrthi

Galas. Emblicos (Endiwiensamen) q. vis

decoquantur cum Oleo rosarum, aut myrtino.

6. Inter remedia fortiora huius speciei habetur ab eodem:

Rp. Cantharides recentes ablatis pedibus, et capitibus. Exsiccatae in umbra terantur in oleo olivae, donec totum ingrossetur. S. Zum Einreiben.

7. Villanova inungit capillos seq. unguento:

Rp. Pomum unum colocynth. Extrahetur. quod interius est, et impleatur oleo laurino, et auripigmento, foliisque hyoscyami, et bulliat per se supra ignem in se ipso. S. Zum Einreiben. (Est remedium ob indeterminatam quantitatatem arsenii continentem spernendum).

8. In defluvio capillorum ab eodem seq. remedium, qua praestans laudatur:

Rp. Stercoris muris

Cineris apum aa q. s.

Terantur, et pistentur cum Oleo ros. S. Zum Einreiben.

Huic tantam tribuit efficaciam, ut asserat se hocce remedium in vola manus iam pilos produxisse. Simili ratione agat stercor caprae oleo mixtus, et in caput tonsum inunctus.

9. In defluvio capillorum post morbum exorto suadet Sennert:

Rp. Pulv. rad. Bardanae unc. sex

Pulv. capill. Veneris. M. tres

Pulv. Abrotani M. unam

Affunde vini albi q. s. destillentur in vesica. Destillato si libet addatur aqua mellis. Vel lavetur caput lixivia in qua coquitur radix bardanae, aut Buxus (Buchsbaum.)

Ad promovendum barbae incrementum laudatur:

1. Rp. Herbae Artemisiae q. vis coquatur cum oleo. S.
Pro inunctione in regione barbae

2. Rp. Pulv. Sem. nigellae (Schwarzkümmel-Samen),
Olei ovorum q. s. misce.

Contra colorem capillorum canum, aut rubrum in oculum incidentem plura adhibentur remedia, inter quae commendari possunt:

1. Usus pectinis plumbei.

2. Lotio capitis omni secunda v. tertia die cum vino, in quo antea digerebatur per 12—24 horas cortex salicis, nucum juglandum etc.

3. Unciae quatuor Potassae depuratae solvantur in libra una aq. rosar., hac solutione inunguntur capilli omni tertio die, et sole siccentur. Hocce remedio statuit Prieszterberg capillos multum flavos acquiri colorem obscurum, rubros castaneo bruneum, canos cincinnos autem fieri lucide bruneos.

4. Ad colorem capillorum nigrum obtinendum:

Rp. Nuces virides mense Junio, eosque contunde, et admisce aluminis rasi libram semis, huic in olla nova affunde Olei libras tres. Stent in digestione per 20 dies liquore colato caput illinatur.

5. Remedium simplex, et minime nocivum ad mutandum colorem capillorum flavum in obscurum est frequens eorum inunctio oleo cucurbitae, aut melius oleo ovorum.

6. Color capillorum in nigrum vertitur usu sequentis remedii: recipe decoctum quercus, et amalgama oxydorum metallorum plurium sub nomine Rasasu ex Turcia, et Servia adlatum, digereque longiori tempore in spiritu vini.

Color capillorum qualiscunque in nigrum mutatur longiori usu olei macassar.

Ruber barbae color tollitur, si illa utprimum tonsa est aceto plumbi lavetur, quod iterum momento post tensionem delavatur aqua tepida. Hocce remedio per mensem adhibito barba non amplius rubra, sed brunea prodit. — Ceterum in electu remediorum ad colorem capillorum mutandum, summa cautela utendum, cum facile noxiun exerunt effectum.

IV. Cosmetica Dentium.

Dentes singulare constituunt ornamentum sexus praeципue sequioris, hinc merito in eorum culturam summam convertunt diligentiam, quae tamen fini semper sit, quam maxime conveniens. Apud plerosque homines dentes bene

formatos, sanosque in conspectum prodire, vix quis negabit, hinc boni dentifricii problema est magis negativum, nempe eos in hoc statu conservandi, et non positivum. Omnis a natura formatus dens est pulcher, si mundus est, qui si per dentifricium, qua talis conservatur, tunc sanus a semet ipso perstabit, nam potentibus nocentibus remotis, tam fortis permanet, ut functionibus suis praeesse possit. — Nullum hinc remedium dentifricium chemice agat in dentes, sed solum subtilissimo modo mechanico removeat omnem mucum, salivam, cibos, vel alia peregrina, et superficie encausto dentium convenientem tribuat polituram.

Inter constituentia boni dentifricii primum locum occupant Carbones, praeprimis ligni tiliae, huic se digne iungit Carbonas magnesiae, ob vim absorbendi, et peculiarem molitatem. Lapidès cancerorum, et creta alba praeparata simili agunt modo, ut Carbonas magnesiae. Ossa sepiae, conchae praeparatae, corallia alba, et rubra, sunt qua Carbonates Kali praecedentibus similia, pulverem tamen minus mollem largiuntur, hinc saltem apud adultos aliis pulveribus mixta adhibentur. — Cineres minus commendantur, imo sub certis circumstantiis etiam nocent; Praeferrantiam p̄ae his meretur sapo, qui non respiciendo saporem eius ingratum, est praestans ingrediens dentifriciorum. — Iris florentina, qua pulvis innocuus additur dentifriciis in gratiam odoris. — Hucadusque dentifriciis admixta ingredientia, uti alumén, Crem. tartari, acid. tart. citricum, borax, Chlор. calcis etc sunt qua absolute nociva rejicienda. — Inter materias colorantes usitatissimae sunt: Carmin, lacca florentina, sanguis draconis, bolus armena, corallia rubra, coccinella, lignum santali rubrum, ex quibus certae non omnes sunt indiferentes, et saltem primae duae in parva adhuc quantitate amoenum dant colorem. — Ut etiam organo olfactus, et gustus studeamus, adduntur aliquot grana vanilliae, v. aliquot guttae olei aetherei v. g. de Bergamo, Neroli, rosarum, caryophillorum, menthae etc. Quod adplicationis modum adtinet, consultissimum esset, vesperi ante decubitum setulla molli, et dentifricio dentes mundare, nam secus residuis ciborum durante nocte tempus conceditur in putredinem abeundi, et altero mane dum removentur, effectum nocivum iam maxima ex parte exeruerunt: Inter dentifricia innocua haberi possunt:

1. A Professore Carabelli praescribi solitum :

Rp. Pulv. alcohol. oss. Sepiae
 — — — lapid. canceror. aa unc. unam sem.
 — — — Cort. Cinnamomi
 — — — Ireos florentinae
 — — — Carb. ligni tiliae aa drach. tres
 Vanilliae grana 10. M. D. S. Zahnpulwer.

Pauperioribus dedit loco oss. Sepiae — astrocoderm calcinat; qua aroma dedit Oleum de Bergamo.

2. Rp. Pulv. carb. lig. tiae unc. 2
 — cort. chin. flav. unc. sem.
 Olei caryophillorum gutt 6
 M. D. S. Zahnpulwer.

3. Rp. Pulv. carb. lig. tiliae unc. unam
 — rad. ratanhiae unc. 3
 M. D. S. Zahnpulwer.
 Adhibetur omni septim. 2—3 vicib.

4. Rp. Pulv. crustae panis tostae unc. β
 — rad. Ireos florent.
 — Catechu aa drach. 2.
 Olei caryophyllorum gutt. 20.
 M. D. S. Zahnpulwer.

5. Rp. Pulv. Santalli rubri unc. β
 — cort. chiae drach. duas
 — Myrrhae drach. unam
 Olei caryoph. gutt. 4. Bergamot. gutt. 6
 M. exactissime D. S. Zahnpulwer.

Color dentium flavus tollitur usu succi Citri. — Infantibus, et individuis iunioribus usque ad dentitionem secundam optime convenit carbonas magnesiae sine ullo addimento.

V. Cosmetica contra foetorum oris.

Denique commemorare convenit odorem oris ingratus, qui frequenter radicatur in immundo dentium statu, praeterea in turbato digestionis processu, vel in vitio pulmonum. — Primum obtinet, si inter dentes, vel in eorum cavis relictii cibi in fermentationem transeunt, vel praesente statu gingivae morboso. — Hic praeter munditiem par-

flum dictarum, lotionem oris cum pulvere carbonum, plurimum praestat solutionem chloratis calcis, vel Decoctum saturatum salviae cum foliis rosarum brevi tempore in ore servare. — Si malum originem dicit ex ventriculo, tunc adhibentur remedia, acida absorbentia, praecipue magnesiam, et saccharum in aqua miscendo, et vesperi ante decubitum absumendo, vel pulv. carb. lig. tiliae drach. semis, misceatur cum s. q. mellis, ut fiat electuarium per 3—4 vices absumendum; item evitatio certorum ciborum, quorum usus pyrosim, et evolutionem odoris ingrati producit, quales sunt: ova dura, pisces, caseus etc. — Vitio in pulmonibus residente, halitus oris ingratus obtunditur, per manductionem substantiarum, oleum aethereum tenentium, uti corticum saccharatarum pomi aurantii, citri, calamii aromatici, diversarum rotularum v. g. piperitarum. — Plures pariter hunc in finem adhibentur miscelae:

1. Rp. Olei caryophyllorum

Olei cinnamomi. Ol. macis aa gutt. 40.

Pulv. Sacch. albi unc. 16

f. c. s. q. muc. trag. pasta, ex qua formentur rotulae.

2. Rp. Flaved. cort. Citri rasi pomorum sex

Pulv. Sacchari albi libram unam

M. exactissime, et forma cum muc. trag. rotulas, quae in ore solutae gratum spargunt odorem.

Theses defendendae.

1. Matrimonium ad Macrobiotica pertinet.
 2. Superfoecundatio est rara, sed possibilis.
 3. Hypochondria, et Hysteria sunt morbi toto coelo diversi.
 4. Conceptio immuni hymene possibilis.
 5. Tractamen Cosmeticorum medicum non dedecet.
 6. Quaestus Cosmeticorum esset interdicendus agyrtis.
 7. Medicus qui collegam invidia prosequitur, animi sui imbecillitatem prodit.
 8. Euthanasia, sive ars, extrema vitae momenta minus dolorosa reddendi, inter medici officia non ultimum est..
 9. Asthma acutum infantum Milliari morbus proprius, et distinctus est a tracheitide acuta infantum.
 10. Diagnosis hydrocephali acuti, saepe perquam difficilis..
 11. Morbus ipse saepe est remedium morbi.
 12. Vis naturae medicatrix, necessitatem medicinae non subvertit.
-